



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Cremonensi Episcopo apostolicæ sedis Legato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

revocemus, sed potius severitate judicis puniamus, quia tamen pater filium diligit etiam offendentem, imitantes longanimitatem illius cuius patientia, quantum in ipso est, ad veniam peccatores adducit, universitatem vestram exhortamur attenuatus, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus a praeato tyranno, qui, sicut per ea qua circa nos egit, nisi esset cor vestrum insipiens obscuratum, adverte potuisse, benefactoribus suis mala pro bonis retribuit, atque ab ejus complicibus fano utentes consilio recedatis, & redeatis humiliter ad finum sancte Romanae Ecclesie matris vestre, offensam præteritam obsequiis subsequentibus expiatane. Alioquin indubitanter noveritis vos privilegiis omnibus vobis ab eadem indultis perpetuo spoliandos, cum propter ingratitudinis vitium libertas in servitutis compedem revocetur. Datum Signie 11. Idus Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

*CREMONENSI EPISCOPO
apostolice sedis Legato.*

*Epiſt. 15.
Coſtīmat de-
poſitionem E-
piscopi Vicen-
tini.
Vide lib. 16.
epiſt. 15.*

Per tuas nobis litteras intimasti quod cùm contra Episcopum Vicentinum tam per publicam famam quam per Canonicos ipsius Ecclesie multa tuis fuissent auribus inculcata, licet notorium esset eundem Episcopum clamorem qui de ipso accenderat opere complevisse, ad cautelam tamen eidem terminum præfixisti quo se tuo conspectui præsentaret, suam super objectis, si posset, innocentiam ostensurus. Quod demum pluribus sibi terminis assignatis in tua comparere presentia non curante, in eum depositionis sententiam promulgasti, Capitulo Vicentino alium eligendi liberam tribuens facultatem. Quamvis igitur ad id sine nostro speciali mandato procedere non debueris, cùm hoc sit unum ex illis quod sibi sedes apostolica specialiter reservavit, quia tamen nota est ejus enormis dilapidatio, & deformis insufficientia non ignota, & antequam tuas litteras acceperimus, nos super ipsius depositione nostras feceramus litteras jam notari, fraternitati tua per apostolica scripta mandamus quatinus eundem facias ab Ecclesie Vicentiae regimine perpetuo remanere remotum, monens idem Capitulum diligenter ut in nullo de cetero eidem intendens, personam idoneam & Ecclesie Romane devotam sibi per electionem canonicam infra mensem præficiant in pastorem. Alioquin tu id auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appella-

tionis obstaculo exequaris; nihilominus dictum Episcopum per censuram ecclesiasticam distictissime cogens ut pecuniam quam de alienatis Ecclesie possessiōibus congregavit refundat in ejusdem Ecclesie debita persolvenda. Datum Signie Non. Iulij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Super hoc ſcriptum eft Capitulo Vicentino.

E P I S C O P O A V R A S I C E N S I.

Ex tuarum perpendimus serie litterarum F. mulierem Aurasicensem coram te fuisse conquestam quod cùm B. Garinus parochianus tuus eam duxisset, legimus in uxorem, eandem non curabat maritali affectione tractare; cùmque partes ad tuam præsentiam convocafses, dicta mulier juramento firmavit quod idem B. per verba de præsenti contraxerat cum eadem, testibus nihilominus ad hoc probandum productis, quorum depositiones eisdem duxisti litteris inferendas. E contraria vero B. memoratus juravit se nunquam contraxisse cum muliere jamiceta, nec eandem anulo subarraffe, producens nihilominus testes ad reprobationem testium productorum ab ipsa, dicta quorum eisdem inferere litteris procurasti. Propositum etiam B. prædictus quod eadem mulier eadē Stephano in Ecclesie facie fuerat matrimonialiter copulata, qui carnaliter eandem cognoverat, & eam tenebat in domo propria ut uxorem; quod in jure confessa fuit mulier sacerdicia, afferens tamen secum B. sacerdotio primitus contraxisse. Cùmque postmodum mulier eadem adestes interim producendos diem sibi peteret assignari, dictus B. afferens eandem audiisse dicta testium productorum ab ipso, ac propter hoc non deberet rursus ad testimoniū productionem admitti, sedem apostolicam appellavit, octavas sancti Martini proximò venturas terminum sue applicationi prefigens: quem terminum arcans ad festum Ascensionis proximò tunc futurum, nobis humiliter supplicasti causam eandem fine terminare debito dignaremur. Nos igitur iiii tam per litteras tuas quam per relationem dilecti filii G. Subdiaconi & Capellani nostri, quem eidem B. concessimus auditorem, plenius intellectis, easdem litteras tuas sub bulla nostra sibi remittentes inclusas, fraternitati tua per apostolica scripta mandamus quatinus si de hoc principaliter coram te actum fuerit, quod videlicet sœpe nominatus B. memoratam F. maritali non curabat affectione